


~~94~~ <sup>15</sup> EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-35.*

SIGNAT. c1o1oCCCXIII.



THALASSIO  
 IN SACRVM NV-  
 PTIALE ORNATISSI-  
 MI ET DOCTISSIMI IVVENIS  
 HENRICI CLOTACII SCHOLAE PA-  
 triæ prorectoris, Sponsi: Et lectissimæ Virginis Annæ  
 Köninges, Henrici Könings, Reip. Mind. Senato-  
 ris filiæ, Sponsæ, celebratum Mindæ 25. Au-  
 gusti anni huius 1588. factus à

Ioanne Auerbergio Mindano.

*Bonum est coarctare iuueniles ardores, ne Cupidini de-  
 diti tristem exitum sentiant l. vlt. §. ipsum autem,  
 vers. penult. C. de bonis qua liber.*



HELMSTADII.  
 Excudebat Iacobus Lucius.

Anno M. D. LXXXVIII.



IOANNI AVERBERGIO PO-  
PVLARI SVO DILECTISSIMO.

**S**i laudem decus & merentur amplum,  
Qui Mauortis opus ferocis, arma,  
Cædes, vulnera, & arduos labores  
Heroum, super astra ferre gaudent.

**S**i laudem decus & merentur amplum,

Qui turpes Satyros, leuesq; Faunos,

Faunos qui nemorum colunt virentum

Saltus, non humili ferunt cothurno.

**S**i laudem decus & merentur amplum,

Arridet quibus impudica Cypris,

Quos vanus labor vrget, vt calores

Inconcessa libidinumq; tela

Possint eximio referre versu.

Hos si præmia, si manent honores

Quis laudem tibi deneget? piumpq;

Quis non IAN E tuum probet laborem?

Dum funesta nec arma, nec bicornes

Faunos, nec calidos Cytheris æstus

Effers carmine, sed iubes sorores

Blandas condecorare veste fœdus

Digna & versicolore coniugale,

Et quem Phœbus amat, virum, piampq;

Quam virtus decorat serena, nympham.

Fac pergas: Nisi me nouem dearum

Fallit fama, tuas Apollo lauro

Ornabit viridi comas, erisq;

Magnum Pieridum decus: valet.

*Helmstadij faciebam Hennin-  
gus Ludouici Mind.*

PASTOR AB AMPHRYSO.

**F**esta parat Clotaccius omine læta  
Coniugij præstans fausto. Regina sub-  
intrat

ANNA toros Sponsi, quam læsit cuspide blanda  
Antè VENVS, cæci & stimulos inflixit amoris.

Eia! lux spectata diu, spectata nouellis

Lux Sponsis exorta est: lux hæc gaudia poscit!

Gaudia lux poscit! præsto sint GAVDIA MA-

GNA,

Pandite mox Heliconæ deæ: noua carmina Musæ

Dicite: vos Charites *χαριτες* de nomine dictæ

Tollite mellifluos super æthera, tollite cantus,

Et celebrate noui Cytharis noua gaudia Sponsi.

AGLAI A.

**D**icite io Pæan! Et io bis dicite Pæan,  
Incidit in thalamos nymphula Sponse tuos.

Gaude, gesti, mente sali, tibi ducitur ANNA

Amplexura suum (te pie Sponse) procum.

Te solum elegit: lateri te iungere solum

Optauit: dicet, tu mihi Sponse places.

Candidior Cygno est: Paphia quoq; pulcrior ipsa

Brachia Sythonia candidiora niue.

A 2 Huius

85

Huius ut à tactu Pylius iuuenescere possit,  
 Viribus & Nestor fortior esse suis.  
 Hæccine præstanti patrū de stirpe profecta est?  
 Hæccine formosa est casta, pudica, pia?  
 Diuitiæ pereunt, perit oris & alta venustas:  
 Sed virtus animi cum pietate manet.  
 Forma bonū fragile est, quantūq; accedit ad annos  
 Fit minor, & spatio carpitur illa suo.  
 Tu Sponsam, pie Sponse tuā, quā munere diuūm  
 Es nactus, costis ad sociato tuis.  
 Hanc pete connubijs: hanc solam dilige: nunquā  
 Te pigeat lateri conseruisse latus.  
 Non fatis inuenisse tibi est HENRICE, puellam,  
 Arte tua capta est: arte tenenda tua est.  
 Vtere forte tua: inuenilem amplectere Sponsam:  
 Sit tibi spes thalami certa, vigorq; tui.  
 Ducite quas cupitis iuuenes: quos fata, puellæ  
 Nubite demonstrant. omnib; adstat HYMEN.  
 ANNA *EUPHROSINE.*  
**D**icite io Pæan! & io bis dicite Pæan!  
 Suscipe nunc animo gaudia SPONSA tuo.  
 Felix es nimium, felix pulcherrima virgo  
 Es tali Sponso, cui socianda venis.  
 Te fo-

Te Solam elegit: lateri te iungere Solam  
Optavit: dicet tu mihi SOLA places  
Prima huius, montis puerili celsa sub ævo  
Culmina Cyrrhæi scandere cura fuit.  
Strenuus ad claras sudavit Phocidos vndas,  
Fonte Caballino proluit ora sua.  
Vera loquor: nec se testem mihi MINDA negabit  
Patria præclaris condecorata viris.  
Hic duxit gratæ Sponsus primordia vitæ,  
Stemmata maiorum est natus & ille bono.  
Hic posuit studij fundamina prima sacрати,  
Artes & linguas imbibit à puero.  
De hinc quoq; verus erit præstās Hānouera testis,  
Quam tangit gelidis LEINA sonorus aquis.  
Hic cum forte alij YRGALLI pocula siccant,  
Cum grauis exustos æstus hulcat agros,  
Hunc iuuat Ascraei nemoris recubare sub vmbra,  
Atq; Medusæo fonte leuare sitim.  
Inclyta LVNAEBVRGA feret suffragia: Rector  
Et LENIGERVS: (eum Parca seuera tulit.)  
Hic tibi dux faciles aditus Heliconis ad antra,  
Hic puro obscurum lumine pandit iter.  
Hic tibi per plexas Labyrinthi cernere fraudes,  
Monstravit: morum tradidit ille decus.

Te schola CELLENSIS vidit: viditq; labores  
Permagnos: studiū comprobat illa tuum.  
Te schola CELLENSIS mirata est: fouit: & inde es  
Missus LEVCOREAE ad docta theatra Scholę.  
Hic remorantur iter non æstus, frigora, nymbi,  
Et retrahunt cæptas tædia nulla vias.  
Pocula Gorgoneo tibi mista HENRICE liquore,  
Ambrosiasq; dedit Musa benigna dapes.  
Hic cognouisti præclaras sedulus artes,  
Amplexus Musas Aonidumq; Chorum.  
Hic cognouisti perplexa ænigmata iuris,  
Rimatus leges nocte dieq; sacras.  
Plura quid enarrem? narret schola patria plura,  
Cui te ciuilibus turba præesse cupit:  
Cogeris vt stultam nunc informare iuuentam  
Virtutisq; viam tradere, iure tuo.  
Pergito Maiori studio: & maioribus ausis  
Non Themis alma tibi præmia digna negat.  
Pergito quò iuris te, te, veneranda sacerdos  
(Ipsa Astræa modò pellicitatq; trahit.  
Hinc tibi surget honos nullo delebilis æuo:  
Gloria deq; tuo nomine Maior erit.  
Dicite io Pæan & io bis dicite Pæan:  
Lætitia exulta, gaudia SPONSA cape.

Ecce

Ecce ferunt nymphae calatis tibi lilia plenis  
Lilia mixta rosis: candida ferta parant.  
Spargite humum folijs nymphae: venit Anna Marito  
Coniuncta HENRICO. gaudia magna ferunt.  
Quis post in Venerem segnis, nocturna; bella?  
Bina licet licito ponere membra toro.  
Ducite quas cupitis iuuenes: quos fata puellae  
Nubite, demonstrant. Nunc pia vota valent.

### THALIA.

Felix ergo nouo precor  
Ad sis Christe toro: numine tu sacro  
Sponsos dirige: quos bono  
Iunxisti pariter sydere suauiter.  
Tu Sponsum rege Candidum,  
Tu Sponsam nitidam dotibus optimis  
Orna: foedere Castitas  
In fixo ut maneat viuuda cordibus,  
Aspira thalamis ratis  
Ignes ac licitos pneumate confoue.  
Luctus, liuor edax, dolor,  
Circum nullus eat grata cubilia.  
Lis ac ira ferox, furor  
Absint: aufugiant sollicitudines.

Ate

87

Ate diffugiat mala,  
Et cedat cito Mægera nigerrima:  
Pax circa volitet domum  
Cuncto lætiferam tempore candida.  
Iuno transfiliat pede  
Aurato tacitè fulcra nitentia:  
Adsit diua Venus: pia.  
Et Lucina nouis adsit amoribus:  
Ut cari repleant domum  
Patris marmoream pignora plurima.  
Felix Christe nouis pie  
Spōsis semper ades primus & vltimus.

Symb.

Δυσυχῆς ἐν Φάυλης χεῖρε βῶθηθ' ὑπάρχεις  
ἐλπίδ' ὅτ' ἐρδάμην ἐν σέ τέθηκα ΘΕΟΝ.  
*Rebus in aduersis adiutor Christe manebis,  
In te iacta mea spesq; salutis erit.*

Ate

ULB Halle

3

001 853 031





Sb.

Barcode hängt a.  
1. angegeb. Stück, da 1. Stück nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., da  
Handschrift

12a unvollst., nicht  
erfolgt





THALASSIO  
IN SACRVM NV-  
PTIALE ORNATISSI-  
MI ET DOCTISSIMI IVVENIS  
HENRICI CLOTACII SCHOLAE PA-  
trix prorektoris, Sponsi: Et lectissimæ Virginis Annæ  
Königes, Henrici Könings, Reip. Mind. Senato-  
ris filix, Sponsæ, celebratum Mindæ 25. Au-  
gusti anni huius 1588. factus a

Ioanne Auerbergio Mindano.

*Bonum est coarctare iuueniles ardores, ne Cupidini de-  
diti tristem exitum sentiant. l. vi. §. ipsum autem,  
vers. penult. C. de bonis qua liber.*



HELMSTADII.  
Excudebat Iacobus Lucius.

Anno M. D. LXXXVIII.

77

84

